

Secundum etiam satis non est solidum; quamvis enim largiamur, conscientiam non esse habitum infusum: argumentum tamen plus non concludit, quam conscientiam malam vel erroneam non esse habitum infusum. *Tertium* itidem infirmum; *tum* quia habitibus nos uti cum volumus, non est universale; *tum* quia, quamvis Conscientia, in actu secundo considerata & ut à DEO excitata, non sit in potestate nostra & sub liberi arbitrii Jurisdictione, si tamen consideretur generaliter & in communi, sæpius succumbit voluntati & sopita conquiescit; *tum* quia conscientia non tantum acquiritorum habituum naturam imitatur, sed & naturalium & in-natorum rationem participat, & proinde etiam nobis reluctan-tibus adhuc reclamatur.

XIV.

Rectè dividitur *Conscientia* in *Antecedentem* & *Consequentem*. *Prior* præcedit opus faciendum; *Posterior* subsequitur opus jam factum; *Prioris Esse* secundum *Doctores*; est *practicum*; *posterioris* autem *speculativum*. Ad *priorem* pertinet obligare: si enim *Mens* practicè judicat, opus aliquod faciendum esse, quia honestum pium aut præceptum, tunc censetur obligare & instigare voluntatem, ut illud aggrediatur & perficiat; ad *posteriorem* pertinet testificari accusare, reprehendere, laudare, consolari. Cum enim *Mens* post peractum opus speculativè judicat, benè aut malè patratum esse, tunc dicitur testificari de opere benè aut malè patrato, & pro diversitate peracti, vel laudare & consolari, vel accusare & reprehendere, quam *Distinctionem* stabilit *Primo* ipsa *Scriptura*, quæ & *Antecedentem* insinuat Rom. 14. v. 23. & *Consequentem* Rom. 2. v. 15. cap. 9. v. 1. 2. Cor. 1. v. 12. *Secundo* ipsa *Diversitas actuum* quos recensuimus, quorum *quidam* proprii antecedenti, *quidam* verò consequenti. *Tertiò* *Patrum consensus*; *Antecedentem* enim indicat *Basilus Homilia 12.* scribens: *Quoniam, ex ipsius Salomonis sententia, cogitationes iustorum iudicia sunt, viro sapienti omninò satagendum erit, intra cordis Arcana Tribunal constituere, rectaque facere iudicia; Mentem quoque velut in Trutinâ suspendere ad ea, quæ conveniunt, & ad quod libet agendum aquâ lance librare.* De *Consequente* verò ita loquitur *Augustinus* libro contra *Secundinum Manichæum* cap. 1. *Senti de Augustino, quicquid libet, sola me in oculis DEI conscientia non accuset.* & *Gregorius* lib. 6. Epistola 14. *Ad Cor proprium recur-rendum, ut nullius nos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat:*

P. 1. Th. C.

B

quem